

dendam vicem dilectionis, his qui me diligunt, ostendam. Pertingere faciat Christus Jesus Deus, et Dominus, conditor et Redemptor atque ab omni morte ac corruptione Salvator noster in qua cum

A Deo Patre, Spiritu sancto coeternus et consubstantialis ac coequalis, vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXIII.

RESPONSIO DOMINI HINC MARI

AD QUORUMDAM QUÆSTIONES

Cur in quodam suæ humiliatis scripto posuerit mysticam Nicænam synodum.

(Apud Sirmond., ex codice S. Laurentii Leodiensis.)

Quæsitum est, ut a quibusdam mihi dictum est, cur in quodam meæ humilitatis scripto posuerim mysticam Nicænam synodum. Unde sicut doctrina catholicorum nobis est traditum, reddimus rationem: videlicet quia et veteri historia præfigurata, et per numerum signi passionis ac nominis Domini nostri Jesu Christi est designata, et præscientia consecrata. Nomen enim mediatoris Dei ac hominum hominis Jesu Christi, qui divinitate nos condidit, et humanitate in unitate personæ suæ divinitatis assumpta redemit, cum sit Hebræum, apud Græcos, qui ut Hebræi in nominum interpretatione, ita in numero litterarum gloriari dicuntur, litteris Græcis ita scribitur IΗΣΟΥΣ quod Græce dicitur ΣΩΤΗΡ , Latine interpretatur SALVATOR, sive *salutaris*. Et hujus Hebræi nominis litterarum numerus apud Græcos iste est: I, 10; H, 8; Σ, 200; O, 70; Σ, 200. Collecto autem in unum hoc numero, fiunt quadringenti octoginta octo. Unus namque, qui dividi non potest, decies ductus denarium perficit, et denarius quater ductus in quadragenarium surgit, et quadraginta decies ducti quadringentos efficiunt; quia juxta Pauli vocem: *Unus est Deus, unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (I Tim. II, 5). Cujus gratia ad æternam vitam, quæ centenario numero et hoc quater ducto figuratur, electi omnes, non solum de incorruptione animæ simul et corporis, verum et de visione divinæ majestatis, cum gloria ejusdem mediatoris Dei et hominum clarificatæ humanitatis gaudebunt. Octavo autem et octogenario numero qui octo decadis constat, patenter innuitur quia quomodo Christus octava die resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus, et ipsa quotidiana nostra circumcisio, quæ in Veteri Testamento octavo die fieri solebat, id est, quotidiana cordis nostri mundatio, semper octavæ diei sacramentum celebrare non desinat, donec accipiamus binas stolas, immortalitatem scilicet et incorruptionem corporis simul et animæ. quod octavo et octogenario, ut diximus, numero designatur. Sed sicut majorum traditione didici-

mus, in libris Græcorum, verum et in Latinorum, uti comperimus, per notas scribuntur nomina, quæ interdum prima et novissima et virgula superposita in dexteram æque veniente a sinistra, ut $\overline{\text{DS}}$. $\overline{\text{NR}}$. $\overline{\text{VR}}$. Interdum autem prima et media et novissima notantur littera, et virgula superposita in dexteram æque veniente a sinistra, ut $\overline{\text{XPS}}$. $\overline{\text{DNS}}$. Et sicuti in hoc nomine, cum scribitur $\overline{\text{IΗΣ}}$ casu nominativo, quarum litterarum numerus iste est: I, 10; H, 8; Σ, 200, in unum autem collectus hic numerus complet ducentos decem et octo. Centenarius namque numerus, qui decem decadis constat, et de læva transit in dexteram, perfectus est numerus. Σ similia, littera ultima in nota nominis Jesu in nominativo casu ducentos exprimit, quia perfecta Deus ante sæcula, perfectus homo factus est in fine sæculorum. Denarius vero in decalogo perfectus est numerus, continens in se mysterium quadrigæ evangelicæ. Computa enim ab uno per ordinem usque ad quatuor, et invenies decem. Octonarius quoque numerus docetur esse perfectus in Jesu octavæ diei resurrectione: qui etsi mortuus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei, qui per signum suæ passionis, quod T tau littera signat, continens numerum tricentenum, elisit diabolus, occidit mortem, triumphavit infernum; cui si super transversa linea id quod in cruce est adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Collige autem in unum signi Dominicæ passionis et nominis numerum, invenies quadringentos decem et octo. Quingenti denique quinquagenario numero decies ducto complentur, quia gratia Domini Jesu crucifixi, et a mortuis suscitati, et in dextera Dei sedentis, non solum legis decalogum, sed et quatuor sancti Evangelii libros implemus, et octava resurrectionis die resuscitati, ad reguiem sempiternam, quæ jubileo, in est quinquagenario numero, designatur, in æternam vitam, quæ centenario numero monstratur, fide recta et operibus bonis pervenimus. Et recte sacra Nicæna synodus mystica dicitur, quia non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem et octo episcopi ad idem concilium per-

venerant, primogenitum Satanæ, Arium videlicet, alterum Judam, et proditiōis infidelitate, et traditiōis iniquitate, et ultionis supplicio, devicturi. De quibus etsi quidam ad tempus titubasse leguntur, non tamen, sicut nec duodenarius apostolorum numerus in Judæ proditiōe, ita nec in titubantium hæsitatiōe hic a Christo electus episcoporum numerus periit. Hic enim numerus trecentorum decem et octo sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni sacerdotis est forma benedicitur. Huic autem mystice synodo isdem, cui singulariter ac specialiter dicitur: *Ex utero ante luciferum genui te* (Psal. cix, 3); et: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (ibid., 5), per signum suæ passionis et nominis, ut præmisimus, in litterarum numero Dominus Jesus suo se probavit adesse concilio. Crux enim in trecentis. Unde Gedeon cum trecentis perrexit ad prælium, de quo dicit prævidens per crucem triumphaturum potestates acrias Dominum Jesum propheta: *Superasti sicut in die Madian* (Isa. ix, 4). IH. nomen in decem et octo est sacerdotibus. Et nota quia hic nomen Jesu genitivo casu et non nominativo effertur; et ideo hic littera C simma non additur, sed cum IH, superposita linea scribitur, quibus numerus decem et octo completur. Utrum autem in hoc genitivo hujus sacratissimi nominis casu, alia aliqua littera his duabus præpositis litteris apud Græcos superaddatur, nec ne, an sicut in crucis specie, quam littera T tau præterdit, insuper, transversa linea id quod in cruce est non superadditur, ut figura crucis non solum ipsa crux effigietur, eis-

dem duabus tantum litteris cum linea superposita nomen Domini Jesu, ad designandum decem et octo episcoporum numerum Græcorum consuetudine imaginetur, non est nobis necesse conjicere, cum ad scientiam et auctoritatem nobis sufficere debeat beatus Ambrosius, utriusque linguæ Græcæ videlicet et Latinæ peritissimus, dicens: « Crux in trecentis, Jesu nomen in decem et octo est sacerdotibus. » Et mihi quidem, Hilarius inquit in libro de Synodis, loquens de trecentis decem et octo sacerdotibus, « ipse ille hic numerus sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni sacerdotii est forma benedicitur. » Et Ambrosius in libro primo de Fide, ubi et ea quæ de illius verbis posuimus dicit (in prolog.): « Abraham, inquit, trecentos decem et octo duxit ad bellum, et ex innumeris tropæa hostibus reportavit, signoque Dominicæ crucis et nominis, quinque regum victriciumque turmarum subacto robore, et ultus est proximum, et filium meruit et triumphum. » Et lib. i, c. 9): « Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem et octo ad concilium, quin Nicænum, convenerunt; sed ut in numero eorum, per signum suæ passionis et nominis, Dominus Jesus suo se probaret adesse consilio, crux in trecentis Jesu nomen in decem et octo est sacerdotibus. » Hæc tantorum doctorum verba ex integro, cum his quæ traditione magistrorum didici, hic ponere dignum duxi, quia Dominus dicit: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam querit* (Joan. vii, 18), ne viderer fraudem in Dei dono facere, si aliena quasi propria vellem efferre.

XXIV.

HINCMARI PROFESSIO FIDEI.

Ad pontificem Romanum missa.

(Apud Marlot., Hisi. metropol. Rhemens., pag. 388).

Ego Hincmarus hujus sedis ordinandus archiepiscopus, et sacro ministerio vestro, sancti Patres, prædicationis officium susceperus:

Confiteor sanctam atque ineffabilem Trinitatem Patrem, et filium, et Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiæ, unius nature, unius majestatis, atque virtutis. Dominum quoque nostrum Jesum Christum de Deo Patre ante tempora genitum, eundemque sub tempore de Spiritu sancto conceptum, et de Maria Virgine natum credo. Qui passus pro redemptione humani generis, ad inferna descendit, indeque victor resurgens, et in cælos ascendens, venturus est in fine sæculi, ut reddat singulis prout gesserunt in corpore positi,

sive bonum, sive malum. Præterea constitutiones quatuor principalium conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis: canones quoque synodorum, et decreta quæ orthodoxa fides suscipit et complectitur, me suscipere, tenere et prædicare velle confiteor. Hæreses vero et schismata, quæ catholica Ecclesia anathematizat, et quidquid sanæ fidei adversatur, condemno, respuo et anathematizo. Beato vero Petro et vicario ejus debitam subjectionem et obedientiam, suffraganeis vero nostris adjutorium me exhibiturum profiteor; et huic professioni meæ coram Deo et angelis ejus, sub testimonio quoque præsentis Ecclesiæ subscribo.

